



Vir Nobilissime.



Ostquam publico me scripto compellas, non video cur, quicquid a me responsum fuerit, intra privatos nostros parietes delitescat. Equidem tantum abest, ut publicis laudibus afficiar, ut in his, non commendationem quis ego fuerim, sed admonitionem potius, qualis esse debuerim, contineri credam. Neque gratias admodum prolixas libenter agere soleo, quoniam reciprocis blanditiis subesse videtur ad plus dandum invitatio. Hoc tamen si veniat ab Amicis, velut homines facti, placidum hunc vel silendo, vel modeste comprobando veneramur affectum: quis enim succenset amanti? quis etiam qualemcumque favoris excessum, pro sua simplicitate, non excuset?

Et verò causas habeo satis graves, *Nobilissime LUDOVIGE*, cur amicum Te vocare non dubitem. *Lusatius es, ac communem mecum agnoscis Patriam*, unde Viros passim meritissimos per orbem eruditum disponi meminimus: cuius quoque laudis copiam Tibi factam gratulor. *Seligmannianus es & dignus, qui DUUMVIRIS* tum in Republica in Ecclesia claris, *propriorem admissionem debeas*. Eo sanè pervererunt Heroes, ut eorundem virtutes admirari magis quam imitari liceat. Interim suo quemvis modulo metiri didicerunt, nec contemnunt, quos magnos, ut ita loquar, reperiunt in parvis, ac fideles in officiis, forte quidem exiguis, necessariis tamen, & Deo probatis.

Sed ne dissimulem, quis præcipue sit amoris mutui fomes. *Rektor es, qualem illustrioribus Gymnasiis apprecari serio velim*. Pietati junctam habes industriam, laboribus amorem ac bene merendi studium. *Conscientia Tibi sistit Scholarcham, Juvenum salus interpretatur leges, ipsa vigilantia relaxationem pollicetur*. Parentes cum optimis filiis intelligunt, quam sis *in difficultate facilis, in obscuritate perspicuus, in rerum velut umbratiliu apparatu, lucidus & practicus*. Nihil doces, quod olim non didicisse juvet: nihil oblivioni futuræ consecras, sed, quæ seris etiam annis fructificent, spargis semina. Præcipue verò mones, *ne quis scire se putet, quod verbis exprimere nequit*: sic ipsas disciplinas, sic omnes disciplinarum cultores reddere cupis eloquentes. Mores quoque semper ita componis, ut *nec*

nimi